



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ioannes Gualbertvs. 12. Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. IOANNES GVALBERTVS.

12. Iulij.

EN vatem, en pauperum Patrem, en Ascetarum
Magistrum, miris multis maximisq; illustrem!
Nosse vis unde illi hæ artes? semina audi melioris
vitæ. Petit IOANNES armigero stipatus Florentiam
patriam urbem: angusto in calle obvium habet
hostem à cognato sanguine calentem. Scilicet in
iras animus, in gladium GVALBERTVS assurgere,
& patricidium certè homicidio velle pensare.
Quid ageret saxum inter & aram hostis? Ecce
bonum in arenâ consilium! ad genua irati descen-
dit, utque ignoscat per orantem è cruce pro hosti-
bus suis Patronum Christum orat. Quid expectas?
vincit brevis, sed fortis eloquentia, iris animum,
ferro manum exarmat, verbo, amici discedunt.
Sub hæc in ædem sacram IOANNES pergit, & ecce
Icon suffixi in crucem Christi capite annuens, gra-
tias habet ex suo nomine inimico veniam non
neganti. Quid ad ista, ô Pyrrhæ genus? vos in-
quam, quibus pectus immite plusquam æs triplex
asperat, jurati hominum & in homine DEI hostes,
& quos hæc unum iuvat, non solos perire. Iudice
precante, reo non ignoscitis rei? tantus è cruce
Orator, tot ora vibrans quot vulnera non persua-
det? lignea movet se imago, vos duratis, & annuit
Christus, vos abnuitis? Ite, ite Samsones egregii, &
tumulum hosti, sed unâ vobis parate. *Ex Surio.*

*Dum nos invicem odio habemus, ita muros civi-
tatis Hierusalem contra nos claudimus, ut nobis nul-
lus aditus remaneat, per quem intrare possumus:
nam qui charitatem habere noluerit, quâ fronte ad
DEVM, qui charitas est, præsumit accedere? B. Cæ-
sar, hom. 4.*